




MISSA PRO DEFVNCTIS.




✠ MISSA PRO DEFUNCTIS



Introitus Ps.90,15-16 et 1.

Invocabit me et ego
exaudiam eum : eripiam
eum et glorificabo eum :
longitudine dierum adimplebo
eum. 

Qui habitat in adiutorio
Altissimi : in protectione Dei
caeli commorabitur.  **R**equiem
aeternam dona eis
Domine et lux perpetua
luceat eis. **I**nvocabit me.

Collecta.

Domnipotens sempiternus
Deus qui vivorum dominaris
simul et mortuorum,
omniumque miseris quos
tuos fide et opere futuros
esse praenoscis : te supplices
exoramus, ut pro quibus
effundere preces decrevimus
quosque futurum saeculum
jam exutos corpore suscepit
intercedentibus omnibus
Sanctis tuis, pietatis tuae
clementia, om-


nium delictorum suorum
veniam consequantur. **P**er
Dominum nostrum Jesum
Christum. **A**men.

Lectio Libri Job 7, 16-21.

Darce mihi Domine :
nihil enim sunt dies
mei. Quid est homo
quia magnificas eum ?
Aut quid apponis erga
eum cor tuum ?
Visitas eum diluculo,
et subito probas illum.
Usquequo non parcis
mihi, nec dimittis me
ut glutinam salivam
meam ? Peccavi,
quid faciam tibi o
custos hominum ?
Quare posuisti me
contrarium tibi, et factus
sum mihi metipso gravis ?
Cur non tollis peccatum
meum et quare non auferis
iniquitatem meam ?
Ecce nunc in pulvere
dormiam : et si mane
me quaesieris non
subsistam.

Graduale.

Iob 7, 7-8 et Ps. 129, 1.

Memento mei †
Deus, quia ventus
est vita mea,
* nec adspiciat
me visus hominis.  **D**e

profúndis clamávi ad te,
Dómine : Dómine, exaúdi
vocem meam. * **N**ec adspí-
ciat. **℟** Réquiem ætérnam
dona eis Dómine : et lux
perpétua lúceat eis. **M**emén-
to mei Deus.

Tractus.

Ps. 90. 1-7 et 11-16.

Dui hábitat in
adjutório Altís-
simi, in protec-
tíone Dei cæli
commorábitur. **℟** Dicit Dó-
mino : Suscéptor meus es tu,
et refúgium meum ; Deus
meus sperábo in eum. **℟**
Quóniam ipse liberávit me
de láqueo venántium, et a
verbo áspero. **℟** Scápolis
suis obumbrábit tibi, et sub
pennis ejus sperábis. **℟** Scuto
circumdábit te véritas ejus :
non timébis a timóre
noctúrno. **℟** A sagítta vo-
lánte per diem, † a negótio
perambulánte in ténebris, a
ruína et dæmónio meri-
diáno. **℟** Cadent a látere tuo
mille, † et decem mília a
dextris tuis : tibi autem non
adpropinquábit. **℟** Quóniam
Angelis tuis mandávit de te,
ut custódiat te in ómnibus

viis tuis. **℟** In mánibus
portábunt te, ne umquam
offéndas ad lápidem pedem
tuum. **℟** Super áspidem et
basilíscum ambulábis, et
conculcábis leónem et dracón-
em. **℟** Quóniam in me spe-
ráuit, liberábo eum : próte-
gam eum quóniam cognóvit
Nomen meum. **℟** Invocábit
me et ego exaúdiam eum :
cum ipso sum in tribu-
latíone. **℟** Erípiam eum et
glorificábo eum : longitúdi-
ne diérum adimplébo eum,
et osténdam illi salutáre
meum.

Sequentia.

Panguéntibus in Pur-
gatório, Qui pur-
gántur ardóre ní-
mio, et torquéntur
gravi supplício, Subvéniat
tua compássio : **O** **M**ária !
Fons es patens qui culpas
ábluis, Omnes juvas et nul-
lum réspuis : Manum tuam
exténde mórtuis, Qui sub
pœnis languent continuis : **O**
Mária ! **A**d te pie súspirant
mórtui, cupiéntes de pœnis
éruí, et adésse tuo conspéc-
tui, Æternísque gaudiis pér-
frui : **O** **M**ária ! **G**eméntibus

Mater accélera, Pietátis osténde víscera : Illos Jesu per sua vúlnera Vt sanáre dignétur impétra : **O Mária ! Tu** vera spes ad te clamántium : Ad te clamat turba sodálium, Pro frátribus ut places Fílium, et cæléste det eis præmium : **O Mária! Fac** lacrimae quae bona réspicis, Quas fúndimus ad pedes Iúdicis, Mox exstínguant vim flammæ vindicis, Vt jungántur choris angélicis : **O Mária !** Et cum fiet stricta discússio, In treméndo Dei judício, Judicánti súpplia Fílio, Vt cum sanctis sit nobis pórtio : **O Mária ! Amen.**

Evangelium.

Joan. XI, 32-44.

✠*Sequentia Sancti Euangelii secundum Joannem .*

In illo témpore : Mária, cum vénisset ubi erat Jesus, videns eum, cécidit ad pedes ejus et dixit ei : « Dómine, si fuísses hic, non esset mórtuus frater meus. » Jesus ergo, ut vidit eam plorántem, et Judæos qui vénerant cum ea, plorántes, infrémuit spírítu et tur-

bavit semetípsum et dixit : « Vbi posuístis eum ? » Dicunt ei : « Dómine, veni et vide. » Et lacrimatus est Jesus. Dixérunt ergo Judæi : « Ecce quómodo amábat eum ! Quidam autem ex ipsis dixérunt : « Non potérat hic, qui apéruit óculos cæci nati fácere ut hic non morerétur ? » Jesus ergo rursus fremens in semetípso, venit ad monumentum. Erat autem spelúnca : et lapis superpósitus erat ei. Ait Jesus : « Tollite lapídem. » Dicit ei Martha, soror ejus qui mórtuus fuérat : « Dómine, jam foetet, quadriúanus est enim. » Dicit ei Jesus : « Nonne dixi tibi, quóniam si credíderis, videbis gloriam Dei ? » Tulérunt ergo lapídem : Jesus autem, elevátis sursum óculis, dixit : « Pater, grátias ago tibi quóniam audísti me. Ego autem sciébam quia semper me audis, sed propter pópulum qui circumstat, dixi : ut credant quia tu misísti. » Hæc cum dixisset, voce magna clamávit : « Lazáre, veni foras. » Et

statim pródiit qui fuérat mórtuus.

Offertorium.

Ps. 90. 4-5, 2, 7-9, 11.

D cápulis suis ob-
umbrábit tibi Dó-
minus, et sub pen-
nis ejus sperábis :
scuto circumdábit te véritas
ejus. **¶** **D**icet Dómino :
suscéptor meus es, non
timébis a timóre noctúrno, a
sagítta volánte per diem. *
Scuto. **¶** **Q**uóniam Angelis
suis mandávit de te, ut
custódiant te, ne umquam
offéndas ad lapídem pedem
tuum. * **Scuto.** **¶** **S**uper áspi-
dem et basilíscum ambulá-
bis, et conculcábis leónem et
dracónem, quóniam in me
speráuit, liberábo eum. *
Scuto.

Secreta.

Deus cui soli
cóginitus est nú-
merus electórum
in supérna felici-
táte locándus : tribue, quæ-
sumus, ut intercedéntibus
óm nibus Sanctis tuis, uni-
versórum quos in oratióne
commendátos suscepimus,

et ómnia fidélium nómina,
beátæ prædestinatiónis liber
asdcrípta retíneat. Per Dómi-
num nostrum Jesum Chris-
tum. **Amen.**

Præfatio.

Vere dignum et jus-
tum est, æquum et
salutáre, nos tibi
semper et ubíque
grátias ágere, Dómine, San-
cte Pater Omnipotens ætér-
ne Deus, per Christum Dó-
minum nostrum.



Cujus império násci-
mur, cujus arbítrii régimur,
cujus præcépto in terra de
qua sumpti sumus peccáti
lege absólvimur ; et qui per
mortem Filii tui redémpti
sumus, ad ipsius Resurrec-
tiónis glóriam tuo nutu
excitámur.

Et ídeo cum Angelis et
Archángelis, cum Thronis et
Dominatió nibus, cumque
omni militia cæléstis exér-
citus, hymnum glóriæ tuæ
canimus sine fine dicentes :


Sanctus .

Communio.

Ps. 90. 4-5.

cápulis suis obumbrábit tibi Dóminus, et sub pennis ejus sperábis : scuto circumdábit te véritas ejus.  **R**équiem ætérnam dona eis Dómine : et lux perpétua lúceat eis. **S**capulis.

Postcommunio.

óncede, quáesumus, omnípotens Deus, ut qui ex merito suæ actiōnis affligúntur, per hujus Sacraménti virtútem tuæ grátiae consolatióne réspicient. Per Dóminum Jesum Christum. **A**men.



V.I.O.G.D.